

dum rationis nostrae praescriptum, & vocabulo-  
rum illorum valorem humanum, licebit Articulis  
fidei assuere: ἐλατίζται μὲν γὰρ πᾶν παρὰδειγ-  
μα, ut Iustinus noster loquitur.

100. Quoad Patrum auctoritatem, quae pro Phi-  
lippi sententiâ defendendâ producitur, Respon-  
demus 1. nos eâ minimè obligari. Ad legem enim  
& ad Testimonium Ies. 8, 20. 2. eam esse Patrum  
sententiam, ut saltem aliquibus similitudinibus  
simpliciorum fidem sublevent. Qui finis si hodieq;  
spectetur, tum fortè similitudinis hujus, apud  
rudiores aliquem posse esse usum, non planè repu-  
gnamus: ut nimirum ostendatur, sicut verbum  
humanum in mente humana impassibiliter gigni-  
tur; ita impassibilem quoque Patris esse genera-  
tionem Filij. Verùm sic definire velle modum  
istum, quòd Pater semetipsum intuendo & cogi-  
tando, abstraxerit sui ipsius imaginem, cui Essen-  
tiam suam communicarit, atque impresserit; id  
verò ἀγφάρον esse, ac proinde eadem facilitate  
qua asseritur, rejici & improbari posse, intrepide  
affirmamus.

101. Credentes autem interim, Filium vere  
de ipsa Essentia DEI Patris esse genitum, ita ut  
pater Communicando (κοινωνιάν ἐμμένοντων  
intellige) totam suam essentiam, Filiū, hoc est, aliā  
personam ex se genuerit: vel quod idem est, ut

G 4 Fi.